

rum salutem, aeterni Patris potentiam, atque infinitam virtutem declarant, et praedicant. Ad huius demum mysterii veritatem in animis hominum roborandum placuit Deo ingenis tunc facere miraculum, cum magis Arrianae haeresis flamma grassaretur: nam in Nicaeno Concilio, cum Nicolaus perveciam Arrii, atque proterviam, Trinitatis mysterium negantis adverteret, sic est coram omnibus Arrium allocutus: *Quare tibi videtur in creatore difficile, quod in creatura reperitur? Ecce laterem unum, invenies in illo tria distincta, ignem, aquam, et terram.* Quibus prolatis verbis, protinus a latere ascendere sursum ignis, fluere deorsum aqua, et terra inter digitos comminui visa fuit, canentis ad tantum Dei miraculum obstupescens: cui est honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA X.

*Essentiae in Deo unitas, et personarum Trinitas sacris litteris, et Patrum sententiis, necnon accuratis rationibus ostenditur.*

Quemadmodum Hebraeorum gens inter omnes terrarum orbis nationes antiqua Dei cognitione gloriarum poterat, sic etiam cultu verae religionis in Deo convenienter honorando, variis sacrificiorum sua generibus praecellibat: nam sacrificium, quod placandum numini solebat offerri, hostia pro peccato dicebatur; quod pro gratiarum actione, hostia pacifica; pro petendis autem a Deo beneficiis hostia vociferationis; ac tandem sacrificium, quod solum ad honorem Dei fiebat, nec hominis respiciebat utilitatem, holocausti nomen habebat. Inter quae sacrificia hoc erat discriminis, quoniam eorum, quae prius recensimus, partem aliquam accipiebant sacerdotes; holocausti autem nequaquam erant participes, quippe totum igne consumebatur, iuxta Graecae vocis significacionem: holocaustum enim idem est, quod totum combustum (*Deut. 4*): *Deus autem noster ignis consumens est.* Non aliter nunc videtur accidere in solemnitatibus, festisque diebus, quae sancta maler Ecclesia Deo, eiusque Sanctis consecravit: nam quaedam Sanctorum laudibus, aliae nostris petitionibus, ac impetrandis servantur commodis, qua in re sacrificiis veterum respondent, quae partim Deo, partim sacerdotibus applicabantur; praesens autem festivitas, sicut olim soli Deo holocaustum, ita pariter nunc Deo tantum, id est divinitatis unitati, et personarum Trinitati declarandis, insinuada mihi est.

In primis magis nobis irridenda, quam confutanda illorum opinio est, qui Deum negaverunt, ob id a Graecis vocati Atheistae, hoc est Deum negantes: adeo namque impie, et stulte desipiunt, ut eos mittat Iob ad animalia ratione carentia, quibus decentibus a tanto liberentur errore, ac instituantur viam ingredi veritatis (*Iob 12*): *Interroga, inquit Iob, in-*

*menta, et docebunt te, et volatilia caeli, et indicabunt tibi: loquere terrae, et respondebit tibi, et narrabunt pisces maris.* Hinc Euripides poeta tantam putavit Milesii, et Theodori Cyrenensis dementia, Deum esse negantium, ut illorum impiam opinionem non fuerit ausus Athenis palam referre, ne ab Atheniensibus Areopagi iudicibus eam ob rem gravi plebretur supplicio, ut Plutarchus de placitis Philosophorum memoravit. Pythagoras, ut historiarum narrat, quod libellum edidisset, quem inscripserat, *An Deus sit*, exilio mulctatus, et libellus combustus fuit, indignissimum, ac maxime perniciosum Atheniensibus iudicantibus in dubium revocari, quod erat exploratissimum. Sanctus Ioannes Damascenus (*de fide orthodoxa*) nullam esse tam angustam mentis, abiectione ingenii hominem infamat, cui Deus hanc sui cognitionem non communicaverit, et cum natura ipsa penitus inseruerit: *Cognitio, inquit, quod Deus sit, ab ipso naturaliter est insita, quod Regit prophetae verbis optime convenit: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: ubi non solum unitas, sed personarum quoque Trinitas indicatur, ut docte interpretatur Tielmaonius. Sanctus Thomas (*lib. contra gentes*) duabus rationibus hanc de unitate Dei veritatem demonstrat, quarum prima est a priori, quoniam in causis ad unam supremam, quae non ab alia dependeat, et in agentibus, quae ad operandum moventur, ad unum primum omnium motorem per se immobilem, pervenire necesse est. Altera ratio est a posteriori, quae a mundi gubernatione, rerumque omnium ordine petitur. Mundi enim totius partes inter se contrariae existentes, quales sunt ignis, aqua, terra, et aer, nequaquam possent retinere concordiam, nisi aliqua superior vis esset, atque virtus, qua illa sic dissidentia coererentur: quo argumento ab ipsis supremae omnium causae effectibus desumpto, Ioannes Damascenus maxime nitebatur, ad Dei unitatem declarandam his, qui Deum esse inficiantur, mundumque casu factum affirmant, qualis Epicurus, et Chrysippus fuit. Quorum stultissimus error, et eos sequentium falsissima sententia facile refellitur, et improbat, cum id quod casu fit, caret ordine, et concentu illo, quem in mundo certimus, tam certos orbium coelestium motus, temporum varietates, opportunitam terrae fructibus pluviam, messibus aestum, aliaque innumera id genus, quae omnia cum Davide clamant (*Psal. 99*): *Ipsa fecit nos, et non ipsi nos, ac si dicerent: advertite insipientissimi, quod antequam essemus, aut postquam naturam accepimus, manus non habebamus, quibus nos creare, vel tueri possemus: ipse est Deus, qui nos ex nihilo fecit, facta gubernat, et gubernata conservat.* Hoc igitur, ut ostenderet Damascenus, conveniens nostro proposito adduci culicis exemplum, cuius formam naturamque si consideremus, nemo erit, qui non in tanti artificis rapiatur admirationem. Nonne mirabile est tam parvo calicis corpusculo tot inesse animae vires, quibus imaginatur, et aestimat, sensum habere commutem, irascendi vim, et concupiscendi facultatem? Nonne stu-*

pore dignum, tantulus cum sit, sensibus esse praeditum externis, quibus audit, gustat, tangit, odorat? Quo praesertim sensu sic valet, ut vini longo intervallo remoti odorem percipiens, protinus advolet, et in media noctis caligine, dormientium corpora invasurus, non clam ut proditor, sed palam, ut egregius bellator, praelium adversario indicens, propositis clangore antequam certamen ineat, horribiliter prestrepit. Lactantius Firmianus (*lib. de verit. et fd. relig.*), ad cognoscendum omnium rerum auctorem, contemplari iubet elegans regionumque palatium, quod in loco iuvio, et deserto constructum pluribus variisque marmoribus in sublime promineat, cuius parietes multis coloribus, et imaginibus fulgeant, tecta eboe aureisque lacunaribus resplendant, aulae multo auro, tapetibus intextis ornentur, suppellectili argentea, et aurea dispositi abaci praefulgeant, et laetae mensae dapibus onustae, innumeris videntur expectare convivas. Esset ne quispiam, licet natura, et ingenio agrestis, qui palatium ingressus, illico non diceret? haec auctorem habent, nec enim sponte sua, vel temere hic nasci poluerunt. Gregorius Nazianzenus (*lib. 2*) citharae similitudine in eandem rem utitur, quoniam nullus, illius audiens concentum, tam vecors sit, qui pulsari a se citharam opinetur, sed statim ad citharoedum illius harmoniae artificem, mentem oculosque convertat. Philon Iudaeus ab imaginibus eleganti penicillo expressis petit huiusce veritatis exemplum, quoniam nullus est, qui imaginis venustatem, et picturae excellentiam contemplatus, non consequenter pictoris manum, et ingenium admiretur. Cum igitur haec mundi fabrica ornatissima palatia, locupletissimis auro argenloque splendentes abacos, opulentissimas dapes, atque omnia tantum generis pulchritudine, opulentia, et suavitate superet, fieri nequaquam potest, ut tantarum praestantiarum rerum suo careat artifice, vel auctore destitutur. Magnus Ecclesiae doctor Augustinus tam fixum animo id habebat, ut dicere non dubitaverit: *An vicam dum vivo, sed non, an sit Deus, dubitare audebo.* Sponsa in Canticis praeclare omnia, quae diximus, per metaphoram insinuat, cum Sponsum amatorem aliosque ait: *Oleum effusum nomen tuum, per quae verba unguento comparat odorifero, quod ad omnes transmittit odorem si perfundatur.* Nam ut Zapetium, seu alius pretiosus odor, dum in pyxide, vel intra scrinia custoditur, odorem non communicat cum rebas externis, si autem extrahatur, omnes illius odore gratissimo recreantur; sic Deus antequam mundum condere, in se ipso manens virtutem continebat suam, quippe per opera externa se non communicaverat; unde creaturis nondum existentibus nemo illum poterat cognoscere, donec verbo sui oris potentissimo, universas condidit creaturas, et in eas fragrantem sui odoris effudit suavitatem: ideoque subiecit Sponsa dicens (*ibid.*): *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Hoc ductus odore David in Dei veniebat cognitionem, cum dixit (*Psal. 18*): *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annunciant firmitatem, et reliqua quae in illo*

Psalmo eleganter, et sapienter ab eo describuntur. Cuius etiam odoris vi, atque virtute attractus Paulus Apostolus Deum investigavit, quem per ea, quae facta sunt, intelligi posse sic scripsit (*ad Rom. 1*): *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: ubi per mundi creaturam intelligit hominem propter excellentiam, quam inter alias creaturas obtinet, vel propter convenientiam, quae homini cum omni creatura est: nam revera quidquid creaturarum emittit, etiam minimus agri flos, aut vilior herba Deum praedicat sui auctorem: et licet parva sit, et uno tantum constet folio, clarior tamen quam a Platone descripta plurima folia; Deum esse testatur, quippe quantumvis abiecta, vestigium tamen est creatoris, et manifestum summi artificis argumentum. Nihilominus non deficiit, qui Deum esse negaret, ut ait David (*Psal. 13*): *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: at licet insipiens, tamen non omnino stultus. Videri fortasse potest, quod non id palam proferat, sed animo conceptum retineat: quoniam si Iam impiam sui pectoris publicasset cogitationem, non dubium erat, quin contra eum, ratione ac voce carentia saxa consurgerent, et tanquam amolae mentis prorsusque insanus, ventorum flatibus exsibilaretur. Verum speciali Dei providentia factum arbitror, insipientem illum suam sententiam non protulisse, ut certe inde argumento, ut aiunt Dialectici ad hominem, facile illum convinceremus: nam cum ipse secum mente tenens dixerit: *non est Deus: idque iam evulgatum sit per universum orbem, et nullum praeter Deum cordium cogitationes penetrare valeat, evidens est Deum esse, qui id revelavit.* Hunc igitur Deum unum, et non plures existere humana mens consequitur. Sed relictis rationibus, quae scholae videntur aptiores, duas tantum in medium adducam, quae facile ab omnibus percipiantur. Primum, nemini est obscurum si duo essent, et non unus Deus, suam utrique ad propriam fore voluntatem; unde, uno creare angelum, aut quidvis aliud facere volente, aliter posset abnuere, ac reluctari; et qui sui voti compos evasisset, alterius depressa potestate solus haberetur omnipotens. At si obiciat, quod unus vellet, alterum pariter, ac necesse volturum, non utique iam libere, sed coactus secundus operabitur. Praeterea Deorum ista voluntas, aut esset concors, aut discors; si dissideret, quomodo omnium rerum vigeret ordo, ac tam constanter, et sapienter mundus gubernaretur? quod enim unus faceret, aliter vellet infectum, innumeraque incommoda, et absurda contingerent. Si autem illi Dei firma, et immutabili voluntate cohaerent, vel unus potuit mundum creare, moderari, ac tueri, vel ab altero pendens, eius potentiam, seu voluntatem expectavit; quod si sponte quidem sua, ac solus per se ipsum, quae diximus, valere exercere, socio non indiget, unde ille aliter omnino erit superfluus, ac minime necessarius. At si non potest illa praestare solus, non utique Deus est, cum a se ipso non habeat omnino creandi, et conservandi facultatem. His, alisque similibus rationibus Pythagoras persuasus maluit Athe-**

nis exulare, quem multos esse Deos fateri, ut sanctus Hieronymus (ad *Paulin.*) testatus est. Augustinus (de *Civit. Dei lib. 3.*) eximium illum, ac memorabilem philosophum Socratem pro defenda huius veritatis assertionem animam profudisse commemorat; quem etiam sanctus Thomas, vel quicumque ille est, qui super Boetium commentaria scripsit, prosum Boetii tertium interpretans memorat, iubente Atheniensium Indice, pro faciendi huius veritatis fide poculum veneno plenum hausisse innoxium atque superstitem. Hanc Dei unitatem Cyprianus (tract. quod *Idol. dii non sunt*), ut probet, ingeniose, et accurate in tractatu de *Idolis* ratiocinatur, cuius verba memorata digna hic duximus describenda: *Unus igitur Dominus est Deus, neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnium teneat potestatem; ad dicendum imperium etiam de terris matrem exemplum. Quando unquam regni societates, aut cum file coepit, aut sine errore desit? Sic Thebanorum germanitas rupta, et permanens regis dissidentibus etiam in morte discordia, et Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum alter coepit hospitium. Pompeius, et Caesar offensa fuerunt, nec tamen necessitudinis foedus in aemula potestate tenuerunt. Ne hoc tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura consensit. Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus; multa magis mundi unus est rector, qui universa quaecunque sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat; haec ille, cuius consideratio aliam adiungam, constabillitem, Dei unitatem eadem ratione, qua caeca Gentilitas ad tantam deorum turbam adorandum suadebatur. Adeo namque haec in re deliravit antiquitas, ut teste Eusebio (de *praep. Evangel.*), triginta deorum millia in terris colerentur: unde Blondus de Roma triumphante memorat, solere a milibus deferri capitibus imposita animalium simulacra, quae victoriam consecuti pro diis venerabantur. Potissima sic insanientium ratio ad plures Deos colendos ea fuit, quod tot tantarumque rerum gubernationem, et conservationem ab uno Deo sustineri non posse stultissime opinabantur, ideoque singulis diis singularem rerum administrationem curamque tribuerunt: hinc Iovi tonitrua, et fulgura, Cereri fruges, Baccho vina, Marti praelia, Mercurio eloquentia, Neptuno maria, Dianae venatio, Esculapio medicina, et alia aliis similiter attribuebantur, quae si nosse lector fortasse capiet, d. Augustinum (lib. 22. de *Civit. Dei*) consulat. Veruntamen cum Dei nostri perfectio tanta sit, ut omnia, quae diximus, et quaevis infinita regere, ac tueri queat, nec ab earum aliqua, vel simul ab universis, illius infinita potentia valeat impediri, non utique Christiana religio vanis illorum egebit numinibus: non Mercurio quidem, aut Apolline, cum Christus verus Deus sit Patris immensa sapientia, illamque pueris lac sugentibus praebeat, linguas infantium faciens disertas; non Neptuno indigebit, qui aquis praesit, cum de nostro Deo canat propheta David (Psal. 64): *Qui conturbat profundum maris; non Eolo ventorum domino: siquidem, ut idem ait (Psal.**

134): *Qui producit ventos de thesauris suis, qui Iona (cap. 1) tempore magnam excitavit tempestatem, et filius Israel Aegyptum egredientibus, divisit mare in divisiones aquarum; et de Christo dictum legitimus apud Mathaeum (cap. 8): Quis est iste, quia maria, et venti obediunt ei? nec opus est Baccho falso vini deo, cum Deus noster aquam in vinum convertat, ut factum cornibus, dum nuptiae in Cana Galilaeae celebrabantur; non Esculapio ad medendum Ecclesiasticum (cap. 38) dicente: *Altissimus creavit medicinam; non Cerere frugum Dea, cum ille, quem colimus, noverit famelicis mittere Manna, quod rerum omnium sapientiam continebat, et quod mirabilis est, quotidie pascat nos pane angelorum, sicut scriptum est (Ps. 77): Panem angelorum manducavit homo, etc.* Quid Diana venatrix nobis videri poterat necessaria, quandoquidem habemus Deum, qui mittit de coelo aves ad eorum limina, qui carnibus indigebant? legitimus enim apud David (ibid.): *Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et ceciderunt in medio castrorum circa tabernacula eorum.* Non denique caelum erat Atlas necessarius, cuius humeris caelum sustineri credebant antiquitas: siquidem tanta est Dei nostri potestas, ut tribus digitis, qui omnipotentiam eius, sapientiam, et bonitatem significant, universa terra libretur: scriptum enim est (Isai. 40): *Qui tribus digitis appendit molem terrae.* Ne tamen tanti momenti veritas sola humanae mentis ratiocinatione constaret, eam Deus nobis per sacram Scripturam revelare voluit: *Videte, inquit (Deut. 32), quod ego sim solus, et non est alius Deus praeter me; et Christus Apostolis dixit (Joan. 10): Ego, et Pater unum sumus; unum dixit teste Ambrosio, ne fiat discretio potestatis naturae. Hinc valet humana ratio proveli, nec pergit ulterius; quippe licet Deum unum esse, cognoscere possit, non tamen viribus suis eundem in personis trinum, et in essentia pariter unum consequitur. Unde opus nobis omnino est, aliud post hac sequi certius sidus, hoc est catholicam fidem, ut illius securo ducta ad optatum tam profundi mysterii portum enavigatis difficultatum fluctibus feliciter appellamus: nam ut optime censuit Dionysius Areopagita (de *div. nom.*): *Nulla ratione praesumendum est, de supersubstantiali secretissimaeque Deitate aut dicere, aut cogitare praeter illa, quae sacra eloquia tradiderunt.* Quamobrem Dionysii consilio assentientem, aliqua sacrae Scripturae loca ab Spiritu sancto dictata proponam, quibus haec veritas comprobetur. Primum omnium a libro Moysis accipiamus, qui suam de rerum creatione, ut bene inciperet historiam, cum ego in huius operis confectione imitari volui, ab altissimo Trinitatis mysterio sic fuit exorsus (Gen. c. 1): *In principio creavit Deus caelum, et terram, et paulo post ait: Spiritus Domini ferebatur super aquas, ubi per nomen, Deus, iuxta Tertulliani sententiam, ut refert Hieronymus, et iuxta Origenis, Ambrosii, et Hilarii expositionem, Moyses Patrem significat: dicensque In principio declarat Filium, qui sibi hoc nomen indidit, Ego principium, qui et loquor vobis. Et ad omnem dubitationis scripturalem tollendum,***

ubi vulgata interpretatio vertit: *In principio, Chaldaice legitur, in Filio.* Cum vero dixit Moyses: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* tertiam personam Spiritum sanctum expressit. Sed ne quispiam dicere audeat, per hunc Spiritum, qui super aquas ferebatur, aerem esse intelligendum, quem Deus super aquas creavit, ut videtur indicare Chaldaica lectio his verbis: *Spiritus Domini insufflabat super faciem aquarum:* sanctus Hieronymus (in *lib. de quest. Hebr.*) advertit in Hebraeo sic legi: *Spiritus Domini incubabat super aquas,* hoc est, fovebat res omnes, et vitae spiritum communicabat, desumpta ab avibus metaphora super ova cubantibus, ut illa suo calore vivificent, et pullos excludant. Iuxta hanc divi Hieronymi lectionem, et expositionem legunt quidam Chaldaei doctores: *Spiritus misericordiarum ferebatur super aquas,* quae interpretatio satis aperte docet, Moysen de Spiritu sancto loqui: nemo enim aerem vocat Spiritum misericordiarum. Nec ab haec expositione dissentit alia Hebraeorum lectio: *Spiritus Domini volabat super aquas:* ille namque volatus opis erat, atque protectionis, ut adnotavit Lyra, allegans Deuteronomii locum (c. 32), ubi cum de protectione auxilii quoque divino sermo haberetur, legitur: *Et super eos volitans expandit alas suas.* Hinc Ambrosius hunc Genesios locum explicans ait: *Et si alii pro aere, alii pro spiritu quem spiramus accipiunt, nos Spiritum sanctum accipimus, ut constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat.* Rex, et propheta David notificationis unitatis Dei, et Trinitatis personarum, quam omnes in Deo confitemur, variis in locis insinuat, praesertim illo versiculo: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Per Dominum expressit Patrem, per Verbum declaravit Filium, et per Spiritum oris eius innuit Spiritum sanctum; ita enim magnus ille pater Gregorius in die Pentecostes explicat: *Verbum Domini Filius est Patris; sed ut tota sancta Trinitas ostendatur operata, repente de Spiritu sancti divinitate adiungitur: et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Idem alio in Psalmo ita declarat: *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, et metuant eum omnes fines terrae;* ubi ad significantium trium personarum numerum, dixit *tr. Deus,* et secundo loco dum ait, *Deus, subiungit, Noster,* quoniam secunda Trinitatis persona, quae est Filius, nostram accepit naturam; ad exprimentam vero essentiali unitatem, quae tribus personis est communis, singulariter posuit, *Eum.* Ioannes Evangelista (cap. 21) in Apocalypsi inquit: *Ab oriente portae tres, etc.* ubi cum oriens sit unus, tres habere portas dicitur, quod egregie tribus convenient personis: per illas enim quaecumque creata sunt, ex non esse ad esse, quod habent, egressa sunt. Et quemadmodum per portas ingreditur urbem, sic per tres divinitatis portas in caelestem illam Hierusalem praedestinati descendunt. Has David portas sapientiae, et scientiae Dei sibi aperiri postulabat (Psal. 117): *Aperite mihi portas iustitiae, haec porta Domini, iusti intrantur per eam:* ubi primo loco dicens, *Portas,* addit postea singulariter,

*Haec porta Domini, ad indicandum in Deo cum Trinitate personarum consubstantiali esse divinitatis unitatem.* Apostolus Paulus (ad Rom. c. 11), inter alia huius altissimi inscriptibilis quae mysterii testimonia illud protulit memorabile: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia:* illud ex ipso Patrem significat, a quo tanquam origine, ac summo personarum principio, reliquae divinae personae dimanant. Per ipsum, declarat Filium Patris inscriptibilis, per quem fecit et saecula, et per quem tanquam exemplar omnia condidit. In ipso Paulus dum ait, Spiritus sancti personam ostendit, nam in Spiritu sancto, tanquam in prima causa, est quiddam bonitatis in rebus inventum: ipse namque abyssus est, ac pelagus universae bonitatis immensum; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA XI.

*Proponuntur praeicipuae rationes, quas ad Trinitatis mysterium intelligendum fide praebente catholica, mens humana consequitur.*

Dum non longe a terrae conspectu per media maris litora navigatur, non tanto naufragii timore nauta concutitur; ad postquam altum premere, et tumulentis maris fluctibus se credere nova incipit, nec iam terra prospicitur, sed ut poeta (lib. 1. *Aeneid.*) dixit, *maria undique, et undique cohaeret:* nisi gubernator navis clavo vigilanter assistat, necesse est ut syrbitibus infelicitate vel haerent, vel scopulis allisa frangatur. Non aliter in multis nostrae fidei sacramentis, atque in ipsis etiam ad humanae salutis auctorem Christum pertinentibus mysteriis mihi videtur accidere: nam licet plurimis in eis cognoscendis penamur difficultatibus, non tamen illorum est tam periculosa tractatio, quoniam ad terrae conspectum, et quasi in litore humanitatis Christi vagamur; sed postquam immensae ac sempiternae Trinitatis oceanum tranare incipimus, omnia apparent nova, et insolita, nihil non divinum, et ineffabile; unde opus prorsus est, si difficultatum ingentes fluctus sperare mens nostra velit, ut non solum suis nitatur viribus, quae angustae, et imbecilles sunt, sed prudentem imitata nauclerum, tulam fidei gubernaculum tenens cursum dirigat cognitionis. Narrat Eusebius Caesariensis (lib. 3. de *praep. Evangel.*), ab Aegyptiis, qui signis, et simulacris divina monstrabant, ut Deum repraesentarent, pingi fuisse solum virum aspectu gravem, vestibus indutum caeruleis, una manu circum, altera sceptrum aureum, et capite alas gerentem. Color caeruleus zelum, ut viridis spem, et niger moerorem significat; zelum autem in Deo esse, optime Moyses noverat, qui dixit (Exod. 4): *Zelotes nomen est illi.* Zona, sive circulus significabat Deum omnia completi, et ubique esse praesentem. Sceptrum vero, omnium esse Deum, et Iudicem, ius imperandi, et punien-

di habentem, et quod in navi gubernator, in choro praecorator, in urbe magistratus, in regno rex, id in mundo Deum existere praenotabat, Capiti eius impositae alae, naturam Dei infinitam, et incomprehensam, tanquam inaccessibile habitare loco monstrabant, ut illuc pervenire mens humana non valeret. Sed licet ratio naturalis, ut Aegyptiorum imago inanebat, aliquid conciebat de Deo, id tantum per vestigia creaturarum consequitur, Deum scilicet quatenus unum, non quatenus trium intelligens: Trinitatis enim cognitio nostrae mentis limiles, et facultatem transgreditur, unde vere dixit Iob (c. 36): *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*. Ad quod probandum plures alias rationes, quas late theologorum schola prosequitur, nunc missas faciens, eam tantum adducam rationem, quae a rerum petitur creatione: nam si dum vitam agimus mortalem, cognoscere Deum sicuti est, sine medio, et clare non possumus, reliquum erit, ut *invisibilia Dei, per ea quae facta sunt intellecta conspiciamus*, ab effectibus ipsis ad omnium principem causam ascendentes. Hinc est, quod quemadmodum si quis pulchram intueatur imaginem, facile colligit pictoris in arte praestantiam, non tamen naturae, vel patriae, aut staturae conditionem, quippe id imago prae se non fert; ita relatio creaturarum ad Deum, non Trinitatem personarum, sed naturae divinae unitatem insinuat: non enim ratio, et virtus operandi sunt divinae relationes, prout ab essentia distinguuntur; sed ipsa divina natura, quae omnibus communis existens simplicissima est. Nam si creaturarum ille ad Deum respectus, quatenus unus est, Trinitatem etiam personarum indicaret, proculdubio angelus, qui rerum naturalium in Deum relationes intelligit, illam quoque cognosceret, et consequenter solo naturae lumine Trinitatis arcanum penetrare; quod nullo modo fieri posse, fide catholica docetur.

Etsi tamen verum sit, summo Trinitatis sacramento intelligendo impari esse universae naturae facultatem, utar nihilominus aliquot rationibus, quas mens hominis consequitur, non ut illud evidenter quod ineffabile est, ostendere intendam, sed ut facilius atque expeditius valeat sibi evincere difficultates. Prima ratio est, quam nostrae religionis ignari philosophi non negarunt, Deum videlicet esse substantiam tam excellentem, atque perfectam, ut in se ipso universas creaturarum perfectiones contineat multo praestantius, et perfectius, quam in ipsis reperiantur. Cum ergo similem generare maxima sit agentium naturalium perfectio, consequens est Deum se ipsum posse communicare, ac sibi aequalem, et similem generare personam; unde valde consonum rationi est, credere generandi virtutem in Deo esse perfectissimam, illis imperfectioribus, quae in creaturis sunt, omnino carentem. Quae ratio, ita vera, et vehementer est, ut ad mysterium, de quo loquimur, hominibus persuadendum Deum illum proposuerit apud Isalam (c. ult.): *Ego qui generationem ceteris tribuo, stertitis ero? aut Dominus Deus tuus*. Hoc ita constituto, ulterius pergamus, personam Trinitatis

tertia inquirentes: nam si amor inter generantem, et genitum naturaliter producit, cum in Deo Pater sit, et Filius, necessario etiam erit inter eos amor, tertia Trinitatis persona, quam fides catholica profertur. Huic rationi alia poterit adiungi, quae constat naturae luminis; prius tamen duo nobis tanquam indubitata sunt admittenda; primum, in Deo non esse accidens, sed quicquid ibi est, substantiam esse, simplicissimamque naturam, quae nullam physicam, sive metaphysicam, materiae, vel formae, actus, sive potentiae, generis denique, vel differentiae novit compositionem. Secundum ad creaturas pertinet, ex quibus illae, quae rationis sunt participes, quando actu quidpiam intelligunt, imaginem rei intellectae mente concipiunt, quam theologi verbum mentis nuncupaverunt. Haec ita vera doctrina est, ut nemo sit, qui dum aliquid intelligit, verissimam non experiat: nam qui amici absentis recordatur, mente sua format imaginem qua vultum eius, et staturam meditat, et cognoscit. Hoc ita supposito, certum est, atque omni carens controversia est, a seipso Deum, et omnes creaturas intelligi: nam si, ut ait d. Thomas (1. par. q. 5), cum primum angelus fuit creatus, habuit sui cognitionem, nullo quidem verius id in Deo faterimur. Deus igitur se ipsum cognoscens perfectissimam sui ipsius format imaginem, quae nihil aliud est, quam Verbum aeternum, de quo scriptum est (Ps. 44): *Eructavit cor meum verbum bonum*; quod in Deo cum non possit esse accidens, necessaria substantia est. Cuius existimam pulchritudinem Pater intuitus, et illius parem sibi in natura dignitatem contemplatus, non potuit non infinito amore diligere: Deus enim re aequali iuxta mensuram dignitatis quam habent, ob idque videns Verbum suum infinite bonum, et infinite pulchrum, illud infinito est amore complexus. Quem mutuum, et reciprocum inter Patrem, et Filium amorem, qui est Spiritus sanctus, Trinitatis tertia persona, s. Thomas *Natum Patris, et Filii* vocavit. Nec minus fidem tanti sacramenti invabit ratio, quam modo subiicio. Nam si Deus, ut ab ipsis quoque nostrae religionis ignavis philosophis asseritur, summe bonus est, necessario erit summe communicabilis, et consequenter ab aeterno se alteri communicavit. Quoniam, ut bene argumentatur Augustinus (lib. 3. c. 7), et Ambrosius (lib. 3. c. 8. de Fide Cath.): Si Deus suam alteri non communicavit naturam, id ita fecit, vel quia non potuit, vel quia noluit; si non potuit, imbecillus et impotens: si noluit, invidus, et avarus erit indicandus; id vero cum impium sit dicere, nec fieri aliquo modo possit, constanter asserendum est, Deum alio se ipsum communicasse: quae communicatio cum non fuerit externa, quae communiter dicitur ad extra, nam quod est creatum, habuit in tempore principium; quippe, ut legitur in Genesi (c. 1): *In principio creavit Deus caelum, et terram*, reliquum est, ut dicamus fuisse ad intra, ut theologi loquuntur, hoc est, intrinsecam divinae naturae, ac sibi substantialem communicationem. Praeterea si ut Boetius dixit: *Nullius rei sine consortio inven-*

da possessio est, solitarium esse, non conveniebat Deo, qui primo omnium parenti, ut laetus viveret, Evam sociam praebuit, dicens (Gen. c. 2): *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorem similem sibi*. Quare profiteri debemus, Deum habere societatem alterius personae sibi similis, et consubstantialis: non enim solus est, ut dixit Christus apud Iohannem (c. 8): *Solus non sum, sed ego, et qui misit me Pater*. Duae autem non esse, sed tres in Deo personas, ab incepta considerationis via non deficiens suadeo. Nam quemadmodum ex eo quod Deus summe bonus est, duas in illo personas inferimus, quarum una sit, quae se communicaverit; altera cui communicatur: ita pariter Deum cum summe perfectus existat, tres argumentor habere personas. Amor enim imperfectus ab imperfecto praeter alia in hoc differt, quod imperfectus non patitur consortium, ut his, qui profano student amori, passim erant accidere: perfectus autem amor, et carnis, qualis erit, quo Apostolus Paulus Deum amabat, socios admittit, imo et quaerit expellitque ut plures Deo amatores accrescat, illamque colant, et venerent. Cum igitur amor, qui in Deo est, perfectissimus sit, indet, ut amor, quo una persona divina alteram diligit, tertiam admittat, quae Patrem cum Filio aequali amore diligit. Tandem quamvis in naturae rebus nulla cernantur vestigia, quibus Trinitatis mysterium evidenter intelligi valeat; in nonnullis tamen si attente consideremus, videsse, quae huius divinae imaginis similitudo subleat. Nam si ab angelis libeat exordiri, inveniemus in eis, ut Dionysius (de Eccl. Hier.) scripsit, essentiam, potentiam, et operationem, quae in uno eodemque supposito tria, et distincta inter se sunt. Angelorum hierarchici ordines tres quoque numerantur, et illorum singuli tres habent choros, eodemque teste Dionysio, totidem eorum sunt operationes, videlicet, illuminare, purgare, et perficere. Potestas, et dominationes, Patris potestatem, Cherubin sapientiam Filii, Seraphin amorem Spiritus sancti significat. Caelorum orbis tres sunt, empyreus, crystallinus, et stellaris; motuque tres sunt differentiae: nam empyreum coelum nec movet, nec movetur; et orbis, qui primum mobile dicitur, movet, moveturque; reliqui autem orbis moventur, non movent. Tria sunt genera planetarum: nam qui dominatur, vel est directus, vel retrogradus, vel stationarius, sic dictus, quod non moveatur, ac propterea Patrem significat aeternum, qui nunquam fuit missus: non enim persona mittitur, nisi a qua procedat. Planeta retrogradus Filium notat, nam sicut olim sol decem retro lineas cessit, sic Filius Dei ad lineam usque decimam gradum suae celsitudinis inclinavit, naturam induens humanam, quae post choros angelorum decima est, et novem imperfectior. Planeta directus Spiritum sanctum declarat, qui suis illustrationibus, et afflatibus in beatitudinem dirigit, ut dixit David (Psal. 142): *Spiritus tuus deducet me in terram rectam*. Quod si substantias a Deo creatas intueri velimus, in tria genera dividuntur: nam, vel solo spiritu, ut angeli; vel corpore, ut coe-

li, et elementa; vel spiritu simul et corpore, ut homines componuntur. Quae corporea sunt, in tres partes similiter partiiri possumus; in coelos, elementa, et mista; et orbis terrarum totidem partes sunt, Asia, Africa, et Europa. Linguarum tria genera, hebraea, graeca, et latina, unde reliquae suam habuerunt originem. Lex triplex est, naturalis, scripta, et evangelica; tria generatiois principia, materia, forma, et privatio; dimensio corporis triplex, longitudo, latitudo, et profunditas; anima etiam vegetans, sentiens, et rationalis: huius facultates sunt tres, intellectus, memoria, et voluntas, unde una essentialiter, et facultati- bus tria existens unam in Deo naturam, et tres personas ostendit: nam sicut nummus dum confatur, et cuditur, principis, seu regis accipit insigne; sic homo cum primum formatus fuit, Regis regem, Deo videlicet, qui trinus, et unus est, unitatis similitudinem, et Trinitatis aspectu imaginem. Praeterea sicut numisma imaginem regis insculptum, ut aera sigillo impressa, non solum sigilli refert imaginem, verum praestantius, et expressius in sigillo illam reperiri demonstrat, nec possunt relicta in aera vacua spatia re alia melius quam sigillo compleri; sic animam, quae Dei imagine signata est, dicente David (Psal. 4): *Sigillum est super nos lumen vultus tui Domine*, multo perfectius rem illam, cuius ipsa est imago, in Deo reperiri, et ab eo solo, quo sunt in ea capaces tantarum rerum facultates, posse compleri, et satiari cognoscimus. Hinc ergo est, quod hominis animam nihil expleat, nihilque praeter Deum beare queat. Nam mundus universus cum sphaericus sit, animae hominis triangulari, ut ita loquar, convenire aut aptari non potest, quae tres potentiarum angulos, memoriae, intellectus, et voluntatis habet, quarum si quis capacissimos, tres tantum personae, quae in Deo uno sunt implere, ac beare tantummodo possunt. Sed ad rem quam praecipue tractamus revertentes, duo nunc testimonia referamus, quibus tam supremi mysterii fides expeditior reddatur, quorum primum a veterum philosophorum sententiis, secundum a doctoribus Ecclesiae, sanctisque Patribus accipiamus. Aristoteles perfectionem rerum in ternario numero, id est, in principio, medio, et fine a Pythagorice locari scripsit: unde et Virgilius: *Numero Deus impare gaudet*: qui etiam in egiogis, quem adoramus Deum Filium coelo mitti, his versibus iam adesse memoravit:

nam nova progenies coelo demittitur alto,  
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,  
Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.

Sed ut Mercurii Trismegisti ab omnibus repelita verba silentio praeteream, dicentis: *Monas genuit Monadem, et in se suam reflexit ardorem*. Platonis de hac re sententiam recitabo: *Hunc me, inquit (lib. 6. de Rep.), vocare Filium, bene dicito, quem ipsum bonum genuit sibi similem: et (in Epist. quam misit Dionysio) sic ait: Est rex universum gubernans, post hunc regem est totus in secundo, et post illum in tertio*. Plotinus, ut meminit Augustinus (in l. de Civ.

Dei) librum composuit, quem de tribus substantiis inscripsit; famblens (*in lib. de myster.*), et Proclus (*in lib. de an.*) tres in Deo substantias, quae melius personae vocantur, esse dixerunt. De magno illo Orpheo referunt historici, dixisse tribus modum gubernari: *Luce, consilio, et vita*; quae epitheta, sive attributa, mirabiliter tribus divinis personis conveniunt: Pater enim est lux, de illo enim dixit d. Iacobus (c. 1): *Omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.* Consilium est Filius, cui attribuitur sapientia; et ideo ab Isaia (c. 9) vocatur: *Magni consilii Angelus.* Vita denique Spiritus sanctus est, quod fatetur Concilium Nicaenum (*in Symbolo*): *Credo in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, etc.* Ab Indis novam Hispaniam incolentibus, antequam eis Hispana gens nostra lumen evangelicae veritatis inferret, Senem venerabilem, et coram illo adolescentem, et inter ambos ignem positum adorari, recentiores scriptores narrarunt, quibus imaginibus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, qui utriusque flagrans amor est, a barbaris illi gentibus significabantur. Secundum testimonium sanctorum Patrum atque Doctorum sit, qui variis comparationibus, et exemplis caliginem nostrae mentis illustrare conati sunt, ut facilius huic mysterio fidem, et assensum praestarent. D. Augustinus de Trinitate loquens daobus utitur locis, et scientiae comparationibus: quemadmodum, inquit, sol, qui unus est, triplicem habet lucem, unam in se, alteram a se procedentem, qua aer proprium lucis subiectum illuminatur, tertiam, quae ab utraque exit, illuminans obiectum, quod cernitur: vel ut brevius dicam, sicut a sole lux, a luce splendor, et ab utroque calor exoritur; sic a Patre Filius, ut scriptum est, qui cum sit splendor Patris, et ab utroque calor, qui Spiritus sanctus est, producit. Altera similitudo sumitur a scientia, quam quis discit a se ipso, alio non indicante; illam tamen alteri communicat, et mox uterque alii, quae tamen communicata tribus, una et eadem quiddam scientiae est, et unum scientiae obiectum, a tribus tamen cognitur. Eusebius (*lib. 5. de*

*Symb.*) trium faecularum utitur similitudine, quae si iungantur, accensae non tres flammis, sed unam referunt; nec tamen una fax, sed tres faeces existunt. S. Andreas Cretensis (*orat. de Trin.*) Trinitatis mysterium declarat adducta similitudine puellae se ad speculum intuentis, quae visam in speculo imaginem suam amat, ut poetae de Narciso fabulantur, qui se in fonte prospiciens sui ipsius amore deperit. Hinc ergo fratres aliquid percipere de tam sublimi mysterio poteritis, nam Pater aeternus seipsum in purissimo suae substantiae speculo intuitus perfectissimam impressit imaginem, hoc est Filium, quem Paulus (*ad Hebr. 1*) figuram substantiae eius nominat, cuius agnoscens summam, et aequalem sibi pulchritudinem summe quoque illam dilexit, quae dilectio Spiritus sanctus est ab utroque procedens. Sanctus Anselmus (*in Epist. de incarn. Verbi*), et sanctus Cyprianus (*in Symb. Apostol.*) Trinitatis arcanum aiunt esse simile aquae perenni, quae a fonte derivatur in fluvium, et mox in lacum prolapsa non progreditur longius, quae tamen per continuationem fluxus una existens, locorum tamen diversitate, fontis, fluvii, et lacus distinguitur. Concilium etiam Nicaenum eadem utitur comparatione. Fons est Pater, de quo scribitur: *Apud te est fons vitae*: fluvius a fonte derivatus Filius est, ipse enim de se dixit (*Eccles. 24*): *Ego quasi fluvius exivi de Paradiso.* Lacus figura est Spiritus sancti, nam quemadmodum in lacu omnia aquae vis, et copia quiescit ac permanet, ita divinae naturae communicationes in Spiritu sancto terminantur, nec ad quartam personam progrediuntur. Verum ne ab hoc simili recedamus, sicut quilibet flosculus, aut quidpiam aliud in fontem cadens rapitur in fluvium a fonte profluentem, et a fluvio in lacum perducitur; ita quaecumque essentialis perfectio, quae in Patre est, derivatur in Filium, et a Patre, et Filio in Spiritum sanctum emanat, ut professus est Athanasius (*in Symbol. Fidei*): *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

DE INEFFABILI  
 INCARNATIONIS VERBI DIVINI  
 ARCANO  
 LIBER SECUNDUS

HOMILIA PRIMA

Quam difficilis sit tam absconditi mysterii tractatio et explicatio.

Magnarum est ea natura rerum, ut quo diligentius et attentius illas contemplantur, eo vehementius suam ostentent magnitudinem, et efferant sublimitatem. Unde maiores nostri, et Ecclesiae doctores, qui in huius meditatione mysterii frequentes plurimum, ac diligentes fuerunt, excellentiam illius, et tractationis difficultatem praesefere, et admirari non desunt. Hinc Dionysius Areopagita (c. 2. de div. nomin.) Incarnationem divini Verbi non solum hominibus ignotam, sed ipsis quoque supremis spiritibus occultam, et omni intelligentia maiorem testatur his verbis: *Iesu in carne apparitio ineffabilis est sermone, et omni ignota intelligentiae, ipsi quoque antiquissimorum angelorum non satis perspecta.* D. Hieronymus (*in serm. de Assump. tom. 4*) non minus elegantem quam docte universam naturam ad tanti mysterii altitudinem et maiestatem obstupescere inquit: *Quod natura non habet, usus nescivit, ignorat ratio, mens non concepit humana, patet coelum, stupet terra, creatura etiam coelestis miratur, hoc totum est, quod per Gabrielem Mariae pronuntitur, et per Spiritum sanctum adimpletur.* S. Ambrosius (*lib. de fide ad Grat. c. 3*), non modo concepi mente, sed nec verbis exprimi humanis, vel angelis posse tam occultum mysterium ita fatetur: *Mihi quidem impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed et angelorum.* S. Iustinus (*lib. de conf. Trinit.*) de Trinitate loquens: *Non pudebit, inquit, me faceri huius unitiois ignorantiam habere, immo gloriabor potius quod credam arcana, quae nec ratio, nec mens valet percipere.* Cui consonant verba disertissimi Leonis Romani Pontificis, dum (*serm. de Pass. Dom.*) ita prosequitur: *Gau-*

*dentum nobis potius, quam erubescendum, quod tanta superamur materiae dignitate.* Lacteus ille Bernardus huius admiratus mysterii dignitatem, et profunditatem, inquit (*ser. 2. huius mysterii*): *Abyssus impercratibilis est, et in quo hauriam, non est mihi: alta profunditas, ait Salomon (Eccl. 17), quis inveniet eam? et alibi, fieri nequaquam posse, ut noster intellectus exacte, ac plene magnitudinem summamque sublimitatem incarnati Verbi concepiat, in hunc modum edisserit: Nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest, quid boni ad gratiam, quid congruentiae ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid comodi ad salutem penes se ipsam continet huius venerandi mysterii inscrutabilis altitudo.* Cyrillus Alexandrinus silentio magis Incarnationis secretum, et aenigma adorandum, quam ullis verbis declarandum esse dicit: *Aenigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quod humani iudicii trulinae subiciendum non est: vere difficillimum est sanctissimae Trinitatis arcanum, aliquid tamen in illo, unitatem nempe divinae naturae ratio naturalis assequitur, Incarnationis autem naturam, praeterquam humanae mentis captum infuilo superat intervallo, aliquid illius in rebus creatis vestigium non cernitur, cuius iudicio in tam investibilis arcani notitiam deducamur.* Vas electionis Paulus (*ad Rom. c. 9*) scribens: *Verbum, ait, abbreviatum fecit Deus super terram; quo loquendi genere mihi videtur Apostolus praesentis mysterii declarasse difficultatem: nam etsi abbreviativus, seu notae singulos characteres optime noveris, si pariter occultam illorum vim et significationem intelligas, vana multa concipies, et in sententias a compendii scopo prorsus alienas feraris necesse est. Propter hanc igitur tam difficilem huius arcani notitiam, ut ipse non semel amivadverti, Evangelista Ioannes, qui tam graviter et disertè de natura divina, et personarum distinctione locutus fuerat, cum ad divini Verbi accessit explanationem, non eloqui ut antea, sed re-*